

Zacharias Grape


**Programma, Qvo Rector Universitatis Rostochiensis Zacharias Grapius, SS.
Theol. D. ... Diem Paschalem Diem Apolyseos Olim Dictum, Ut vere talem
feriandum Civibus Academicis ea qva decet pietate ac humanitate commendat**

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1707?]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1838859152>

Druck Freier  Zugang





Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

https://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn1838859152/phys_0001

DFG

ZB ME
05. A. 300

● entsäuert

*M. l. h.
2956*

37

84

PROGRAMMA,
 QVO
 RECTOR
 UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
 ZACHARIAS GRAPIUS,
 SS, Theol. D. Ejusdemq[ue] Profess. Publ. Ordinar. & ad Ædem
 Cathedralem D. Jacobi Verbi Divini Minister

DIEM
 PASCHALEM
 ΔΙΕΜ ΑΠΟΛΥΣΕΩΣ
 OLIM DICTUM,
 Ut vere talem feriandum
 Civibus Academicis eâ qua decet pietate
 ac humanitate commendat.



Rostochii, Typis JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC,
 & ACAD. Typogr.

1717 8.



Illuxit sic denuò per
 DEI gratiam Sanctissimum illud
 Paschatos Festum. Quod uti ex
 Festis omnibus in Sacrà Antiqui-
 tate præeminet, ex Judæorum Sa-
 cris ad Synaxes fidelium tradu-
 ctum, quam vis sub dierum aliquo
 discrimine: ita & variis eleganti-
 bus & nominibus & encomiis
 passim ab Ecclesia fuit condecoratum. Ab ipsa Domi-
 ni nostri lætissima resurrectione appellatur *Dies Domi-
 nicus*, quo nomine nunc & prima septimanæ cujusque
 feria claret, ut à terrenis operibus & mundi illecebris
 abstinentes tantum Divinis cultibus serviamus propter
 spem resurrectionis nostræ in novissimo Seculo, quam
 habemus, ex quo Christus Salvator noster resurrexit
 tertiâ die à mortuis: unde etiam in Dominicâ die stan-
 tes orabant prisca Christiani, quod est signum futuræ
 resurrectionis. Vid. *Jo. Baptist. Casal. de veteribus Sacris
 Christianorum ritibus c. 60. p. 302. Ex Patribus D. Gregor.
 Nazianzenus Orat. 42. quæ est secunda de Paschate p. 676. sq.*
 hoc Festum vocat *festivitatum festivitatem & celebra-
 tum celebritatem* tanto ceteris omnibus non solum humanis
 & humi defixis; sed iis etiam, quæ ipsius Christi sunt ac pro-
 pter ipsum celebrantur, superiorem, quanto sol stellas
 antecedit, item diem omnium dierum maximum, alibi
 etiam *Regem dierum* appellat. Dicitur etiam *dies re-
 galis* ex D. Ignatio: *Omniium dierum supremum, ma-
 gna Dominica, magnum Paschatis Dominicum. Ut late Filesa-
 cus de Quadrages. c. 16. & uti præcedens dies no-
 mine*

mine *Sabbati* magni claret, quia, sicut DEUS operibus
 creationis mundi, scilicet in sex diebus completis in se-
 ptimâ requieuit ab omni opere, quod pararat: sic & in
 sexta ætate recreationis operibus consummatis, juxta
 quod Dominus in cruce pendens dixit: *consummatum*
est, in septimâ ætate requieuit: ita nunc hoc Festum
 dicitur *tempus regressionis*, siquidem tempus Paschale
 significat tempus illud, quod erit post diem, iudicii,
 quando videlicet ad patriam vitæ, quam per Adamum
 amisimus, DEO propiciante regrediemur, juxta *Guli-*
elm. Durand. in Rational. Divinor. officior. c. 78. p. 347. b.
& c. 86. p. 367. b. sed verò inter alias appellationes & hæc
 reperitur in Antiquitate, licet à paucis observa-
 ta, quâ nempe *Dies Dominica Paschalis* etiam salutaba-
 tur ἀπόλυσις, *solutio*, notante *Stephano le Moyne in Notis ad*
Var. Sacr. p. 894. Ideoque & apud *Arabes* Pascha
 Christianorum vocatur & *solutio* & ἀπόλυσις. Sic
 enim apud *Abulaibsanum Achmedum Calcasendium in*
enumeratione Festorum Coptitarum tertium festum me-
 morat: יעמלונה יום אלפטר מן צומהם אלפציה *Pascha*,
celebrant istud Pascha die solutionis, jejunii illorum. Et
Jbn Shathar Arabs in Tract. de festis Mahumedanorum, Jui-
deorum, Christianorum, observat in suis tabulis, quæ re-
 periuntur apud *Johannem Seldenum in Tr. de Synedriis*
Hebr. eor. l. 3. c. 15. p. 1299. sqq. Christianos numerare festa
 vel à צום à jejunio vel à פטר à solutione ἀπόλυσις, seu *Pa-*
schate. Quemadmodum & in istis tabulis multoties
 occurrit מן אלפטר à solutione i. e. à Paschate, & addit
 idem *Jbn Shathar:* פאעלם מן פטרם אכרה Et scire o-
 portet. eorum solutionem ἀπόλυσις, *Pascha* perpetuò incidere
 in diem nonam, & quadragesimam jejunii seu *Quadragesi-*
ma illorum: Atque ex his simul explicare vult *Stephanus le*
Moyne l. c. Nicephorum Homologem, qui mentionem
)(2 [facit

facit Hebdomadis τῆς ἑβδομάτης quando in *Can.* ita:
 ε δὲ τῷ Σαββάτῳ τῆς ἑβδομάτης ψάλλειν τὸν ἕμμελον.
Non oportet Sabbato septimanae Apolytismi cantare Amomon.
 Quo loco difficillimo alias se torquere solent Viri ma-
 gni, ut possint eruere quid sit septimana ἑβδομάτης,
 dum nonnulli existimant fuisse tantum *Sabbatum*, seu
diem septimum post Pascha, vel *Dominicam* sequentem, quæ
 vocabatur *Dominica in Albis* vel Διακηνήσιμος à renovati-
 one recens baptizatorum, vel *diem ante ascensionem Chri-
 sti in caelos*, vel *ultimam Hebdomadum Pentecostes*. Vir
 de græcis literis benè meritus apud *le Moyne l. c.* dicit:
ipse hæreo & adhuc Apolytismus quanam sit doceri cupio;
sed uti diximus, ex jam adductâ Festi Paschatos appel-
latione idem le Moyne septimanam hanc ἑβδομάτης ex-
plicare audet, docens hebdomadem hanc esse ipsam hebdo-
madem magnam, hebdomadem Paschatis, quæ Pascha ante-
cedebat, & quæ denominationem suam arcesserat à Do-
minicâ sequenti, nimirum à Paschate, sicut omnes septi-
manæ Quadragesima à sequente Dominicâ nomen suum
derivabant. Quia verò dies Dominica Paschatis voca-
batur ἀπόλυσις solutio à soluto jejunio Quadragesima, hinc
esse quod tota septimana vocata fuerit ἀπόλυσις solutio-
nis. Uti autè ἀπόλυσις est dimissio ab officio quodam & iūius
terminus, quemadmodum in Euchologio Græcorum ha-
betur: μετὰ τὴν ἑσθὸν λέγεμεν τὸ ἀπολυτικὸν τῆς ἡμέρας;
Post ingressum dicimus Apolyticium seu formulam dimissio-
riam diei, quo populus mittitur: ita & diem Dominicam Pa-
chatis dictam fuisse ἀπόλυσιν solutionem autumat le Moyne
à soluto jejunio Quadragesima; Hinc etiam factum fuisse
addit, quod tota septimana vocaretur ἀπολύσιμος solutio-
nis, quia elapsa ipsa hebdomada solvebatur jejunium,
& fiebat ἀπονήσιμος de jejunio, & à jejuniō ad epulas,
& cibos uberiores se conferebant, atque hoc voluisse
Nicepho-

Nicephorum Homologētā, cū dixit: die Sabbati τῆς
ἀπολύσεως non cantari ἀμωμον, cum illius tempore omni-
bus aliis Sabbatis hymnus iste decantaretur; non verò
Sabbato isto luctuoso, quod immediate præcedebat Pa-
scha seu ἀπύουσι. Nescio, an huc quoque respexerit D^s
Johannes Chrysostomus, utpote qui sanctā & magnā Do-
minicā Paschatos perorans sermonem suum ab hâc je-
junii depositione seu solutione statim incipit Tom. 5. Opusc.
p. 467. his verbis: ἀποθέμεθα τῆς νηστείας τὸ φορτίον, ἀλλὰ
μὴ ἀποθώμεθα τῆς νηστείας τὸν καρπὸν, ἐστὶ καρφορτίον, ἀποθίω-
νηστείας καὶ καρπὸν δρέψαμεν νηστείας, παρήλθεν ὁ πόνος τῶν
ἀγώνων ἀλλὰ μὴ παρέλθη ἡ ἀσκηθὴ τῶν κατορθομάτων, ἀπῆλθεν
ἡ νηστεία ἀλλὰ μένει ἡ βλάβη. i. e. ex inter-
pretatione Frontonis Ducæ: Jejunii sarcinam deposui-
mus; sed ne fructum jejunii deponamus: possumus e-
nim jejunii sarcinam deponere & jejunii fructum decer-
pere. Præterit labor certaminum, sed non præterit stu-
dium rectè factorum, jejunium abiit, sed religio maneat. At
verò meliori adhuc jure longè felicissimum hunc ce-
dium ἀπολύσεως solutionis vocabimus. Revera dies so-
lutionis est. Sic enim jam vincula mortis & triduanæ
dulcissimi nostri Salvatoris sunt soluta, Act. II. 24. &
quod eo magis mirandum, ipse solvit. Ut propterea
benepius Bernhardus Serm. 1. in die sancto Paschæ p. 129.
differat. Est & aliud in quo resurrectionis hujus innotescat
gloria singularis. Quis enim in omnibus ceteris suscitavit ali-
quando semetipsum? ineffabile illud est, ut à morte se excitet
ipse qui dormit, singulare est, nō est qui facit, nō est usq. ad unū.
Heliseus Propheta mortuū suscitavit; sed alterū, non se ipsum.
Ecce enim quot annis jacet in monumento, quod à se non pot-
est sperans ab alio suscitari: ab eò utique, qui triumphavit
mortis imperium in se ipso Dies solutionis est ἀπολύσεως. Sic
enim & vincula nostra, quibus tenebamur, soluta sunt


ac rupta. Per sanguinem enim fœderis emissi vinciti su-
 mus è fovea, in quâ non est aqua Zach. IX. 11. ut gloriari
 queamus: absorpta est mors in victoriam, ubi tuus mors
 stimulus & ubi tua inferne victoria? 1. Cor. XV. 54. sq. Libe-
 rati sumus ab omnibus hostibus nostris. Per resurre-
 ctionem enim Christi gehenna ignis extinguitur, vermis ir-
 requietus moritur: infernus turbatur: luget diabolus,
 peccatum necatur, spiritus maligni fugantur, qui ex terra sunt
 orti attolluntur in cœlos, qui in inferno erant à Diaboli vin-
 culis liberantur, deprædicante D. Joh. Chrystomo sermon. in
 Triduan. resurrect. Domini nostri Jesu Christi Tom. 6. O-
 pusc. p. 370. Uti olim Judæi primo illo suo Paschate,
 tanquam die ἀπολύσεως & solutionis ex Ægyptiaca ser-
 vitute soluti dimittebantur: ita hœc ipso Paschate no-
 strò tanquam verò quòdam solutionis die solutio &
 dimissio spiritualis hæce nobis obtigit. Quod & adeò
 ipsi Judæi hostes Christianorum à Patribus suis cre-
 ditum allegare debent, prouti ex Talmude Tr. Rosch Ha-
 schanna c. 1. adducit Masius in Jos. c. V. 10. Tom. 1. Criti-
 cor. Sacror. p. 1516. celebrem nimirum fuisse & veterem
 opinionem apud præscos Judæos. Qui dies vertentis anni
 Israëlitis fuisset libertatis Ægyptiaca initium, eundem olim
 ipsi fore initium quoque libertatis, quam essent à Messia
 recepturi. O ineffabilis certè solutio, quam in æter-
 num non satis prædicare possumus! Dies ἀπολύσεως
 solutionis est, ratione quoque Ecclesiæ. Sic enim cele-
 brat hunc diem D. Augustinus serm. 1 in die sancto Pasche
 Tom. 10. Opp. p. 897. Hæc dies quæ appellatur octava; Unde & in
 quibusdam Psalmorum titulis superscribitur pro octava. Hæc
 est, in qua Synagoga finitur & Ecclesia nascitur. Dies
 solutionis est. Nam & ipsæ creaturæ aliæ, quæ quasi
 clausæ fuere visæ, jam solutæ reperiuntur, uti passim
 Patres hoc die perorare solent, præ aliis D. Ambrosius
 serm.


serm. 52. in die sancto Pascha Tom. 3. Opp. p. 278. Non merito Fratres hodierna die Psalmus hic legitur, in quo Propheta exultandum precipit & letandum. Omnes enim Creaturas ad huius diei festivitatem David sanctus invitat. Nam in hac die per resurrectionem Christi aperitur tartarus, per Neophytos Ecclesia innovatur terra, cœlum per Spiritum Sanctum referatur — in resurrectione Christi elementa omnia gloriantur: Nam & solem ipsam arbitror esse in hac die solito clariorem. Necessesse est enim, ut sol in ejus resurrectione gaudeat, in cujus passione condoluit, & cujus mortem lugubri quâdam caligine persecutus est, eiusdem vitam nitidioris lucis splendore suscipiat: & tanquam bonus minister, sicut tunc obscuratus est ad exequias sepultura, modo coruscet in resurrectionis obsequium. Agite ergo o Cives Honoratissimi, sit & nobis dies hic celes-
τῆς ἀπαλλαγῆς & solutionis. Solvamus vincula tristitiæ, & lætemur in Domino, Victoriâ resurgentis Salvatoris nostri cui hunc ἀπαλλαγῆς diem debemus, sumâ cum devotione canentes gratoque pectore deprædicantes. Ex cito vos verbis D. Ambrosii l. c. Igitur fratres omnes in hoc die sancto exultare debemus, nullus se à communi latitiâ peccatorum conscientia subtrahat, nullus à publicis votis delictorum sarcina revocetur. Et cum D. Chrysostom. ex serm. in triduan. resurrect. Tom. 6. Opusc. p. 370. Gaudete in Domino semper Fratres charissimi, iterum dico gaudete: Dominus prope est, nihil solliciti sitis, Dominus resurrexit à mortuis & cum ipso turba multa sanctorum. Festum itaque diem agamus jucunde simul ac modeste: hac enim vere dies est, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in eâ. Prædicemus Salvatoris resurrectionem vel salutem potius nostrâ proclamemus: Prædicemus salutaris diei memoriam, prædicemus Diaboli mortificationem, immundorum Dæmonum
Capii.

Captiuitatem, Christianorum salutem, resurrectionem mortuorum. Imprimis vero O mei solvamus sanctissimo hocce tempore vincula Peccati: Excute te ex patere surge sede O Hierosolyma aperire ex vinculis colli tui O captiva filia Zionis. Sic hortor, vos ex Jesa. LII. 2. Et cum Gregor. Nazian. ex Orat. 2. in Pascha p. 676. Christus ex mortuis. Simul surgite. Christus ad sese: redite. Christus ex sepulchro: peccati vinculis solvamini. Christus resurrexit, ne nos detineant vincula mortis Spiritualis. Sed cum Christo resurgamus. Feriemur non in fermento anti quo, neq. in fermento malitia & improbitatis. Sed in azy. mis sinceritatis ac veritatis, hortor vos cum Paulo 1. Cor. V. 8. Et cum Bernhardo claudo claudente serm. 1. in die Sanct. Pasch. p. 133. Vos ergo Charissimi, si consurrexistis cum Christo, quae sursum sunt quarite, ubi Christus est. in dexterâ Dei sedens, quae sursum sunt sapite, non quae super terram: ut quemadmodum Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & vos in novitate vite ambuletis, ut à seculari latitiâ & consolatione mundi per compunctionem & tristitiam, quae secundum Deum est, ad devotionem sanctam & spiritualem vos transire gaudeatis exultationem: Ipso prestante qui transiit ex hoc mundo ad Patrem & nos quoque trahere post se, & in Galileam vocare dignatur, ut semetipsum nobis ostendat, qui est super omnia DEUS benedictus in secula.

Amen.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus
d. XXIV. April. Anno MDCCVII.





Barcode
nicht
vergeben!

24.7.20

↓


5


33

LBMV Schwerin

004 132 769







sancto Pascha Tom. 3. Opp. p. 278. Non in
 hodierna die Psalmus hic legitur, in quo
 adum precipit & latandum. Omnes enim
 huius diei festivitatem David sanctus in vi-
 die per resurrectionem Christi aperitur
 phytos Ecclesia innovatur terra, caelum
 etum reseratur — in resurrectione
 omnia gloriantur: Nam & solem ipsam
 die solito clariorem. Necessesse est enim;
 rectione gaudeat, in cuius passione con-
 ortem lugubri quâdam caligine prosecu-
 tam nitidioris lucis splendore suscipiat: &
 nister, sicut tunc obscuratus est ad exequias
 orusset in resurrectionis obsequium. A-
 honoratissimi, sit & nobis dies hicce dies
 ionis. Solvamus vincula tristitiæ, & læ-
 Victoriâ resurgentis Salvatoris nostri
 diem debemus, sumâ cum devotione
 pectore deprædicantes. Ex cito vos
 l. c. Igitur fratres omnes in hoc die san-
 us, nullus se à communi latitiâ peccato
 trahat, nullus à publicis votis delicto
 tur. Et cum D. Chrysostom. ex serm.
 Tom. 6. Opusc. p. 370. Gaudete in Do-
 charissimi, iterum dico gaudete: Domi-
 liciti sitis, Dominus resurrexit à mor-
 ta multa sanctorum. Festum itaque
 simul ac modeste: hæc enim vere dies
 us, exultemus & letemur in eâ. Præ-
 resurrectionem vel salutem potius no-
 adicemus salutaris diei memoriam, præ-
 tificationem, immundorum Dæmonum
 Capii.